

B

9

1719

~~100~~

A ac

C. C. III

Sancti
D. A

Libb. gramat. & Cantuaria
in Nitavo

N. 58.

ff. 1. a 58



ETRI
CANISII
SOCIETATIS
JESU THEOLOGI
CATECHISMUS.

*Nunc iterum in gratiam studiosa
ferventis latinè editus.*

canisio



Cum Facultate Superiorum et Priv. S. Cas. Maj.
COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica.

B. A. I.



L 57





C A P I T U L U M I.

DE FIDE, ET SYMBOLO FIDEI.

Quis dicitur Christianus, atque Catholicus?

Qui Baptismatis Sacramento initiatus *Jesu Act. II. Christi veri Dei, atque hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesia profitetur neque sectis, vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adhaeret.* *I. Petro.*

Quibus de rebus primum docendi sunt Christiani?

De Fide, Spe Charitate, Sacramentis, & Officiis iustitiae Christianae.

Quid est Fides?

Donum Dei ac lumen, quo illustratus homo *Ephes. 2. firmiter assentitur omnibus, quae Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit; sive scripta illa sint, sive non sint.* *Hebr. 11.*

Quae summa est fidei, seu omnium credendorum?

Symbolum Apostolicum, in duodecim distinctum articulos.

Qui sunt illi duodecim articuli?

Hi videlicet:

Primus.

Credo in deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli & terra.

Secundus.

Et in Jesum Christum Filium eius unigenitum dominum nostrum.

A 2

Ter.



PARVUS CATECH.

Tertius.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex
Maria Virgine.

Quartus.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus,
et sepultus.

Quintus.

Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à
mortuis.

Sextus.

Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Pa-
tris omnipotentis.

Septimus.

Inde venturus est iudicare vivos, et mortuos.

Octavus.

Credo in Spiritum sanctum.

Nonus.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum
communione.

Decimus.

Remissionem peccatorum

Undecimus.

Carnis resurrectionem.

Duodecimus.

Et vitam eternam. Amen.

Quid sibi vult primus Symboli articulus:

Credo in Deum Patrem?

Ostendit primam in Deitate personam, Patrē
scilicet caelestem et aeternū, cui nihil factū impos-
sibile sit, vel difficile, qui caelum et terrā, visibilia
simul, et invisibilia cuncta ex nihilo produxit, et

pro-

Gen. I.

vs. 32.

CATHOLICORUM.

producta usque conservat, & gubernat summa
cum bonitate, & sapientia.

Quid verò secundus Articulus:

Et in Jesum Christum filium eius?

Commonstrat secundam in Deitate personam,
Jesum Christum scilicet filium Dei naturalem,
unicum illum, ab eterno genitum, & Patri con-
substantialem, Dominum, ac Redemptorem no-
strum, ut qui nos perditos liberavit.

Matt. I.
Coloss. I.
Hebr. I.
Luc. I.
Act. IO.

Quid porro tertius:

Qui conceptus est de Spiritu sancto?

Mysterium proponit Dominica Incarnationis:
quia idem Dei filius de caelis descendens, humanam
naturam assumpsit: sed modo singulari prorsus, ut
qui conceptus fuit sine Patre, ex virtute Spiritus
sancti, & natus ex Maria Virgine illibata.

Matt. I.
Luc. I.
Ioan. I.
Isaia 7.

Quid verò quartus.

Passus sub Pontio Pilato?

Mysterium tra. Jac. redemptionis humane: nam
idem verus Dei filius, secundum humanam illam
naturam assumptam extrema verè passus est pro
nobis, & peccatoribus omnibus redimendis Unde
licet agnus esset sine macula, tamen sub Pontio
praeside in cruce suffixus, in cruce mortuus, &
deinde sepultus fuit.

Isaia 53.
Matt. 27.
Ioan. I.

Quid autem quintus:

Descendit ad inferos?

Mysterium resurrectionis Christi complectitur,
qui secundum animam quidem patres à limbo li-
beraturus descendit tertio verò post mortem die,
resumpto corpore, vi propria factus est redivivus.

Ioan. 2.
Eph. 4.
2 Cor. 4.

A 3

Quid

PARVUS CATECH.

Quid sextus articulus:

Ascendit ad caelos?

arc. 16.
10. 22.
1. 1.
1. thes. 4.
1. obr. 1.

Mysterium affert gloriosa ascensionis Christi, ut qui post expiationem redemptionis nostrae opus, ad Patrem transiit ex hoc mundo. Et caelos sua virtute et triumphator ascendit atque in ipsa aeterni Patris gloria super omnia est collo. atus.

Quid septimus:

Inde venturus est iudicare vivos et mortuos?

1. Matt. 25.
1. Ines. 4.
1. Rom. 2.

Demonstrat extremum iudicii diem, quando Christus humana in carne visibilis, rursus de caelo descendet, et tremendum aget iudicem omnium proborum ac improborum, ac reddet unicuique secundum opera eius.

Quid verò octavus:

Credo in Spiritum sanctum?

1. Ioan. 5.
1. Athan.
1. in Symb.

Exhibet tertiam in Trinitate personam, Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque procedens, unus verus, aeternusque Deus est; et regnat cum Patre, et Filio: ac proinde cum utroque simul adoratur et conglorificatur.

Quid nonus articulus:

Sanctam Ecclesiam Catholicam?

1. Cant. 4.
1. Ephes. 4.
1. 2. Cor. 6.

De Ecclesia docet quatuor nobis esse credenda: primum, Ecclesiam esse unam: nimirum in uno Spiritu Christo Jesu in una fide, fidei quae, et Sacramentorum doctrina in uno capite ac rectore universalis Ecclesiae Vicario Christi scilicet, ac divi Petri successore. Secundo, hanc ipsam sanctam esse: quia cum a Christo capite, et sponso suo

cus

CATHOLICORUM.

cui per fidem & Sacramenta conjungitur & san-
ctificatur, cum à Spiritu sancto perpetuò guber-
natur. Tertio, eandem esse Catholicam, seu univer-
sale: quia toto orbe diffusa Christi fideles omnes
omnium temporum comprehendit. Quarto & po-
stremo in hac ipsa Ecclesia communionē esse San-
ctorum: puta non eorum solum qui in terris cre-
dentes peregrinantur, verum etiam qui carnis
mortalitate exiit, vel regnant in caelo, vel illic re-
gnaturi in igne purgatorio suorum peccatorum
sordibus expiantur. Qui quidem veluti unius corpo-
ris membra se invicē juvant mutuis officiis, me-
ritis, orationibus, & sacrosancti Missae sacrificii,
Sacramentorumq; Ecclesiae virtute participant.

Mar. 16.

Luc 24.

Act. 1.

Ephes. 4.

ps. 118.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Quid pro dō dō mus:

Remissionem peccatorum?

Offert presentem Dei gratiā peccatoribus om-
nibus, ne quis de venia peccatorū suorum conse-
quenda unquā desperet. modò in Ecclesia perseve-
ret Catholica, & rite ejusdē Sacramentis utatur.

Luc. 24.

Act. 2.

Quid autem undecimus:

Carnis resurrectionem?

Mortuos omnes ad vitam excitandos asserit,
& novissimum judicii diem confirmat: nam ante
Christi tribunal in carne redi vivi omnes appare-
bimus, ut recipiat unusquisque prout gessit in
suo corpore, sive bonum, sive malum:

Iob. 19.

1. Cor. 15.

Ioan. 5.

Dan. 12.

Matt. 2.

2 Cor. 5.

Quid demum postremus:

Et vitam eternam?

Fidei, & virtutis Christianae premiū, beatā im-
mortalitatem ostendit, ut ceriò sciamus post hanc

Matt. 25

& 19.

PARVUS CATECH.

vitam superesse aliam longè diversam, vereq; securam, beatam, ac sempiternam, qua credentibus & obtemperantibus Christo, destinata sit.

Quæ est summa omnium Symboli
Articulorum?

Corde, & ore confiteor Dominum Deum, quo nihil aut maius, aut sapientius, aut melius potest excogitari: eum, & unum in essentia, seu natura divina, & trinum in personis esse: videlicet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: ita ut hi tres unum sint: unus, verus, æternus, immensus, & incomprehensibilis Deus: ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Pater est Conditor universorum, Filius Redemptor hominum, Spiritus sanctus Ecclesia, seu Christi fidelium Sanctificator, & Rector. Igitur huic sanctissima & indivisa Trinitati respondent Symboli tres partes præcipue: Prima, quæ de creatione est, Patri: Secunda, quæ de redemptione, Filio: Tertia, quæ de sanctificatione, Spiritui sancto accommodatur.

Quid est Ecclesia?

Cor. 12.
Act. 16.
Concil.
orient.

Est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite, & Pastore in terris gubernatur.

Qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt?

Primum Judæi, & infideles omnes, atq; à fide apostata: deinde hæretici, id est scilicet qui cum captivati sunt, contra Catholicam fidem cum pertinacia mutantur errore. Præterea Schismatici, qui à pace & unitate Catholica ipsi se segregant, Postremo qui à communione Sanctorum, à participatione

Sacra.

CATHOLICORUM.

Sacramentorum, & ab Ecclesia suffragiis, divini-
nisq; officiis per Ecclesiasticam potestatem legiti-
me excluduntur; unde & excommunicati dicun-
tur. Qui omnes à Christi corpore quod est Ecclesia,
sejuncti & alieni sunt: proindeq; spiritualis vita
ac salutis expertes manent. Sub hanc, mortiq; per-
petua, nisi resipiscant obnoxii. Ac vitandi quidem
illi omnes Catholicis; sed imprimis heretici &
Schismatici non minus quam pestes quadam ex-
istiales fugiendi, ac execrandi sunt.

Quæ demum est simplex, brevis, & recta fidei
regula, quâ Catholici ab hæreticis
discernantur?

Est ea, Christi fides, atque Ecclesia auctori-
tatem integram profiteri, illudque ratum ac fixum
tenere oportere, quod Ecclesia Catholica Pastores,
atq; Doctores credendum definiierint. Caterum si *Matt 18o*
quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Chri-
stus ipse, sicut Ethnicus, & Publicanus: Non enim
habebit Deum patrem, qui Ecclesiam veluerit
habere Matrem.

CAPUT II. DE SPE ET ORATIONE DOMINICA.

Quid est Spes?

Virtus est divinitus infusa, per quam certa *Rom. 15o*
cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ & 8.
bona expectantur.

Unde modum rectè sperandi & petendi
discimus?

A 5

Ex

PARVUS CATECH.

Matt 6.
Luc. 11.

Ex oratione Dominica, quam Christus ipse
Dominus, & Magister noster ore suo sacrosancto
tradidit, & prescripsit.

Recita per partes orationem Dominicam.
I. prima petitio:

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur no-
men tuum.

Secunda.

Adveniat regnum tuum.

Tertia.

Fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra.

Quarta.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quinta.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di-
mittimus debitoribus nostris.

Sexta.

Et ne nos inducas in temptationem.

Septima.

Sed libera nos à malo, Amen.

Quid sibi vult initium huius orationis:

Pater noster, qui es in caelis?

Rom 8.
Gal 4.
Ephes. 1.

Præfatiuncula est, qua nos memores reddie
primi beneficii, quo Deus Pater per Christum
nos sibi in filios adoptivos, & heredes cooptavit,
atque hoc dulci Patris nomine provocamur cum
ad redamandum, tum ad precandum magna cum
fiducia.

Quid explicat prima petitio,

Sanctificetur nomen tuum?

Proborum filiorum justum, & liberale deside-
rium: impetunt semper, & ubique in se aliisq;
promo-

CATHOLICORUM,

promoveri cognitionem, timorem, honorem, amorem & cultum aeternae Majestatis. & quidquid de-
num ad summum optimiq; patris gloriam spectat.

Quid secunda petitione agimus,

Adveniat regnum tuum?

Petimus gloriam regni aeterni, aeternaq; felicitate nobis donari, ut cito cum Christo in sempiternum regnemus.

Quid tertia,

Fiat voluntas tua?

Petimus divina gratia nobis opem adesse, ut Rom. 1.
Patris voluntatem in terra, sicut Beati omnes in
caelo faciunt sincerè, alacriter, & constanter ad-
impleamus.

Quid quarta,

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

Petimus suppeditari nobis quae ad vitam sive
corporis, sive animi fovendam, & sustentandam
spectant ut victum & vestitum, verbum Dei, &
Ecclesiae Sacramenta.

Quid quinta,

Et dimitte nobis debita nostra?

Petimus veniam, & remissionem peccatorum,
parati vicissim remittere, quod in nos alii pecca-
verint.

Quid penultima,

Et ne nos inducas in tentationem?

Petimus in hac tanta vita imbecillitate divi-
nâ virtute fulciri, atque adversus Mundum, Car-
nem, Daemonemq; defendi, ne quocunque modo
tentatione succumbentes, peccato consentiamus.

Quid

PARVUS CATECH.

Quid septimâ & postremâ petitione;

Sed libera nos à malo?

Petimus dei benignitatem, quâ ipse nos liberet, & vindicet à miseria tum corporis, tum animi, sive in hac vita quoad salutem nostram congruit: sive in futura. Et additur Amen, hoc est, fiat, sive fiet, ut spem desideriumq; monstremus, accipiendi ea, quae septem his petitionibus continentur.

Quae summa est priorum orationis hujus
petitionum?

Priores quatuor ostendunt quae hic bona sperare, ac petere debeamus: inter quae primum ac summum est, divina Majestatis honor & gloria: proximum, nostra felicitas: huic accedit, deo debita obedientia: postremum est corporis, animaeq; sustentatio necessaria. Haec summam continentur prioribus quatuor.

Quae summa est reliquarum petitionum?

Tres posteriores continent mala, quae deprecari debeamus: ut sunt peccata, quae nobis dei regnum pracludunt: tum tentationes, quae nisi ope divinae protegamur, sua vi ad peccandum nos pertrahunt: ac postremo hujus ac futurae vitae calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo salutationem Angelicam recitas
Virgini Matri?

Luc. 1.

*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostrae.
Amen.*

Unde

CATHOLICORUM.

Unde hic modus Deiparam Virginem salu-
lutandi profert?

*Primum ab exemplo Angeli Gabrielis, & san-
ctæ Elisabethæ: deinde ex n. n. ipso, & consensu Ec-
clesiæ Catholice.*

Quem verò fructum adfert hæc salutatio?

*Sacrosanctæ virginis, & Dominicæ Incarna-
tionis gratiam, & aquæ salutarem nobis refrigat
memoriam: ac præterea monet ut gratiosæ Virgi-
nis favorem, atque apud Deum intercessionem
nobis conciliemus.*

Quid discimus ex hac salutatione?

*Eximias doctas, ac laudes incomparabilis Vir-
ginis: in quò dei donis, ac virtutibus amplissimis
referta: quò eadem Virgo & Mater: quò inter
omnes omnium temporum mulieres benedicta:
quò Regis Regum Christi Dei, & Domini nostri
parens, ac proinde inventrix gratiæ, ac genitrix
vitæ nobis extitit.*

C A P U T III.

DE CHARITATE ET DECALOGO.

Quid est Caritas?

Infusa à Deo virtus, quâ Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum. *Matt. 22.
Luc. 10.*

Quod sunt Charitatis præcepta?

Duo principalia: Diliges Dominum Deum *Deut. 6.*
tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & *Matt. 22.*
ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc est
primum, & maximum mandatum. Secundum
verò

PARVUS CATECH:

verò simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. in his præceptis universa lex pendet & propheta.

Quo iudicio se prodit charitas erga Deum?

Ioan. 5.

Si eius observes mandata: hæc est enim charitas dei, ut mandata eius custodiamus; & mandata eius gravia non sunt: & Christus ipse docet: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.

Ioan. 14.

Quomodo se prodit, & agnoscitur Charitas erga proximum?

1. Cor. 13.

Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Cur præcepta Decalogi decem proponuntur.

Etsi duo sunt Charitatis præcepta, in quibus plenitudo legis versatur, tamen præcepta Decalogi idcirco adiciuntur, ut perspicuè magis omnes intelligant, quæ ad Charitatem tum Deo, tum proximo exhibendam pertinent.

Quæ sunt præcepta Decalogi?

Primum.

xod. 20.

Deut. 5.

Levit. 5.

p. 19.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, ut adores illud.

Secundum.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum,

nec

CATHOLICORUM.

nec enim insonnem habebit Dominus eum qui as-
sumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Tertium.

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.

Quartum.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis
longevus super terram, quam Dominus Deus
tuus dabit tibi.

Quintum.

Non occides.

Sextum.

Non inceberis.

Septimum.

Non furum facies.

Octavum.

Non loqueris contra proximum tuum falsum
testimonium.

Nonum.

Non concupisces uxorem proximi tui.

Decimum.

Non domum, non agrum, non servum, non an-
cillam, non bovem, non asinum, nec universa que
illius sunt.

Quid sibi vult primum Præceptum,

Non habebis Deos alienos?

Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum
falsorum Deorum, artem magicam, vel divina-
toriam, observationes supersticiosas, omnem deni-
que cultum impium: è diverso autem requirit, ut
unum Deum optimum, maximum credamus, co-
lamus, & invocemus.

Licet.

PARVUS CATECH.

Licetne Sanctos colere & invocare?

Damas. *Licet, non ad eum quidem modum, quo iubemur*
lib. 4. c. 16. *Deum colere & invocare, tanquam creatorem, &*
redemptorem, & largitorem bonorum omnium:
at longe inferiore gradu, nimirum veluti dile-
Ioan. 15. *ctissimos Dei amicos, nostrosq; apud ipsum inter-*
cessores & patronos.

Huicne præcepto adversatur usus Imaginum
Christi ac Sanctorum?

Damas. *Nequaquam: quia præcepto huic: Non facies*
lib. 4. *tibi sculptile, causa mox additur: Ut adores il-*
Gregor. *lud. Videlicet Ethnicorum more, qui falsorum*
lib. 6. *Deorum statuunt simulacra, & idola sua impiè*
Epist. *colunt. Nos autem in imaginibus Christum &*
Synod. *Sanctos, quos representant, pio à majoribus tra-*
Nicen. *dito more veneramus.*

Quid secundum prohibet,

Non assumes nomen Domini Dei tui
in vanum?

Lev. 19. *Veta: ab usum divini nominis & irreverentiã,*
Eccli. 23. *qua committitur à perjuris & blasphemis, per*
Matt. 5. *Deum, Sanctos, vel creaturam aliquam absque*
gravi causa, veritate, ac reverentia jurantibus.

Quid imperat tertium præceptum,

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices?

Lev. 23. *Vult Sabbathum, seu diem festum in Ecclesia*
Num. 1. *piis operibus celebrari: quod fit ad eundem tem-*
plum, & audiendo Missam. Laborare autem hoc
tempore, & occupationibus deditum esse servili-
bis, planè interdicit.

Quid

CATHOLICORUM.

Quid injungit quartum,

Honora patrem & matrem?

Ut his, qui secundum Deum vite nostra sunt Eph. 6.
auctores, reverentiam, obedientiam, opemq; pra Colof. 3.
stemus, ac omnium officii genere illis ipsis sa-
tisfaciamus. Deinde jubet, ut in magistratus tum
Civiles, tum Ecclesiasticos, parentum & majorum
loco habeamus illorum dicto lubentes pareamus, Rom. 13.
& revereamur potestatem atque auctoritatem. Hebr. 13.
1. Pet. 2.
Quâ ratione potestatem & auctoritatem Eccle-
siasticam reverebimur?

Videlicet, si sacris & œcumenicis Conciliis, si
receptis Apostolorum ac Patrum institutis, ac de-
cretis, si probatis Majorum consuetudinibus, de-
nique si summis Ecclesie pastoribus, ac pontifice-
bus tribuerimus, quam singularem illis debemus
observantiam obedientiamque. Ubi vel maxime
peccant, qui cultum divinum, & sanctiones, care-
moniasque Ecclesiasticas convellunt atque conte-
merant: tum qui Synodis & Pontificibus obtre-
tant, ac in Sacerdotum jura & templa involant,
sacra profanantes.

Quid sibi vult quintum præceptum,
Non occides?

Prohibet vim externam, eadem, & injuriam Matt. 5.
omnem, qua corpori ac vite proximi adferri pos- Deut. 5.
sit. Ad hæc, iram, odium, rancorem, indignationem,
& quosvis affectus, ad proximi lesionem quovis
modo spectantes, excludit, & penitus resecat.

Quid vetat sextum,

Non mœchaberis?

Fornicationem, adulterium, & obscænos illegi- 1. Cor. 6.
timos-

B

timos-

PARVUS CATECH:

Matt. 5. Ephes. 5. 1. Thef. 4. Heb 13. timosque concubitus, tum quidquid honestati, ve-
recundia, & ingenio pudori adversatur. Nam &
qui viderit mulierem ad concupiscendam eam,
jam mœchatus est eam in corde suo.

Quid præcepto septimo cavetur,
Non furtum facies?

Levit 19. Ephes 4. Omnis rei alienae illicita contrectatio & usur-
patio: ut sit in furto rapina usura, lucris injustis,
dolis malis, & iniquis contractibus: demum qui-
busvis commutationibus & distributionibus qui-
bus Christiana charitas leditur, & proximus cir-
cumvenitur.

Quid in octavo agitur,
Non loquêris contra proximum falsum
testimonium?

Exod. 23. Ephes. 4. Iacob 4. 1. Pet. 2. Interdicitur testimonium falsum, mendacium,
& omnis lingua contra proximum abusus: ut est
in susurronibus, detractoribus, maledicis, adula-
toribus, mendacibus, ac perjuris.

Quid postrema duo præcepta,
Non concupisces uxorem, nec rem
proximi?

Matt. 5. Deut. 5. 1. Thef. 4. Vetant concupiscentiam uxoris ac rei alienae:
quoniam quod alienum est, haud solum injustè &
pro libidine nostra occupare non licet; sed ne vo-
luntate quidem ad illud appetendum ferri debe-
mus ita ut nostris rebus contenti, absque omni in-
vidia, emulatione, & cupiditate vivamus.

Quæ summa, quæve finis præceptorum
Decalogi?

Nimirum, ut Deus & proximus sincerè dili-
gant

CATHOLICORUM.

gantur, cuius rei Symbolum fuit in duas tabulas
Decalogi à Deo facta distinctio: In priore quidem
tabula tria docentur, quæ ad charitatem Dei, in
secunda vero septem, quæ ad dilectionem proximi
spectant, explicantur.

Exod. 20

Quâ ratione præcepta primæ tabulæ cha-
ritatem Dei edocent?

Quoniam tollunt, & prohibent vitia cultui,
honorique Dei maxime contraria: Idololatriam,
apostasiam, hæresim, perjurium, superstitiones:
admonent autem verum purumque Dei cultum
corde, ore, ac opere fideliter exhibendum esse: quod
ubi fit, utique solus verus Deus cultu latriæ coli-
tur & adoratur.

Quomodo præcepta secundæ tabulæ, chari-
tatem Dei explicant?

Eo ipso, quod nostrum erga proximum officium
ordine complectuntur: Videlicet, ut non solum
maiores honoremus; sed etiam opere, verbis & vo-
luntate prodesse omnibus, & nocere nemini stu-
deamus: sive corpus proximi, sive persona juncta
conjugio, sive bona fortuna considerentur.

I. Cor. 14

Ad Tit. 2

Quæ summa est præceptorum de proximo
diligendo?

Hæc ipsa nimirum: Quod tibi non vis fieri,
alteri ne feceris. Omnia verò quæcunque vul-
tis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.
Hæc est enim lex & Propheta.

Matt. 7.

Suntne præter Decalogum alia præcepta?

Sunt utique, nec solum utiliter illa, verum etiã
necessario observanda; præsertim Ecclesia præ-
cepta, cui veluti sanctissima Mariæ, sponsæ
Christi,

Matt. 1

Prov. 10

PARVUS CATECH.

Christi aures, & mentes præbere Catholici filii omnes debemus.

Quot sunt præcepta Ecclesiæ?
Præcipuè quinque numerantur:

Primum.

Concil.
Lugdun.

Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

Secundum.

Concil.
Agath.

Sacrum Missæ officium diebus festis reverenter audito.

Tertium.

Can.
Apost 68.

Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam observato.

Quartum.

Concil.
Lateran.

Peccata Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate singulis annis confiteor.

Quintum.

Concil.
Trident.
sess. 13.

Sacrosanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno, idè, circa festum Pascha, sumito.

Quem fructum adferat horum observatio

præceptorum?

Hæc, atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta, primum, fidem, humilitatem, & obedientiam Christianam exercent: deinde cultum divinum, honestam disciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, conservant, & ornant: eoque mirificè conferunt, ut decenter & ordine cuncta in Ecclesiâ peragantur: præterquam quòd æternam vitam meremur, si illa ex charitate observemus.

I. Cor. 14.

CATHOLICORUM.

CAPUT IV. DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

Est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem divinitus institutum.

Aliud est enim quod in Sacramento videmus, aliud, quod in eo accipimus: signum videmus externum occultam verò & spirituales gratiam, qua res dicitur Sacramenti, accipimus.

Aug. lib. 3.
de Doct.
Christ.
Amb. l. 4.
de Sacr.

Quot sunt Sacramenta?

Septē quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conservata, ad nos usque pervenerunt. Sunt autem hæc Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

Concil.
Florent.
Lateran.
Constant.
& Trid.

Quare Sacramentâ veneranda, & summo in pretio habenda sunt?

Primum quidē, quia à deo & Christo Domino in lege nova instituta: Deinde, quia gratiam dei nobis necessariam, eamque uberrimam non modo significant; verum etiam ceu vasa quadam sacra divini Spiritus continent, & ritè suscipientibus conferunt. Ad hæc, quoniam adversus peccatum presentissima sunt remedia, seu divina medicamenta nostri Samaritani. Postremò, quia bonis gratiam habentibus eam ipsam conservant, augent, & amplificant.

Concil.
Florent.

Luc. 10.

Cur Sacramentis Cæremoniæ solennes & Ecclesiasticæ adhibentur?

Multis profectò & gravibus de causis: Primum

PARVUS CATECH.

ut Sacramentorum administrationem spectantes
admonerentur, nihil hic profanum, sed arcana
quodam & divinis plena mysteriis geri, quae sin-
gulari reverentiam exigant. Deinde ut ad Sa-
cramenta ipsa accedentibus, cultum promoveant
interiorem quem deus precipue postulat. & cuius
veluti signa, testimonia & exercitia sint ceremo-
nia. Praeterea ut Sacramenta ministrantes maio-
ri cum dignitate & fructu, munus suum obeant,
dum veteris Ecclesiae instituta, sanctorumq; Pa-
trum vestigiis fideliter inhaerent: constat etiam
hujusmodi ceremonias plerasque iam inde a tem-
poribus Apostolorum per continuam successionem
ad nos usque in Ecclesia perseverasse. His demum
retinetur honesta religiosaq; disciplina: his fo-
vetur publica tranquillitas, quae saepe rituum ex-
ternorum aut immutatione, aut innovatione
graviter interurbatur.

Quid est Baptismus?

an. 3.
d Tit. 3.
om 6.
al. 3. Primum, maximeque necessarium legis novae
Sacramentum, quod semel in aqua confertur,
quo spiritualiter renascimur, & peccatorum ple-
na remissione percepta, in filios dei adoptamur,
heredesque vitae caelestis adscribimur.

Quid est Confirmatio?

1st. 8. &
9.
oncil.
loren.
Iur. Mel. Est baptizatis collatum ab Episcopo Sacra-
mentum, in quo per sanctum Chrisma & verba
sacrosancta confertur gratia, & robur Spiritus
additur, tum ad firmiter credendum, tum ad
nomen domini, quando sic est opus, liberè confiten-
dum.

Quot sunt praecipua de Eucharistiae doctrinâ
capita, scitu necessaria?

Quinque:

CATHOLICORUM.

Quinque: Primum est ejus veritas: Alterum est, panis & vini in Christi corpus & sanguinem conversio: Tertium, adoratio debita: Quartum, ejus oblatio: Quintum & postremum, ejusdem Sacramenti sumptio.

Quæ est veritas Sacramenti Eucharistiæ?

Nimirum hæc: Christum verum Deum ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri, & nobis adesse, ubi Sacerdos ritè ordinatus, panem & vinum verbis illis arcanis, & à Christo traditis consecravit.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

Joan. 6.

I Cor. 10.

& II.

Quæ fit conversio per verba illa, quibus hoc Sacramentum Sacerdos consecrat?

Ea ut per ipsa verba operante Christo, panis & vinum in corpus & sanguinem Dominicum convertantur ac transubstantientur, atque ita panis & vinum esse desinant in Eucharistia.

Concil.

Lateran.

Ephes.

Const.

Quæ Sacramento huic debetur adoratio?

Eadem sanè, quæ Christo Domino, ac æterno Deo debetur: quippe quem illic præsentem agnoscimus. Ideò que religioso cum corporis, tum animi cultu, ut par est, hoc Sacramentum supplices veneramus.

Matth. 4.

Apoc. 14.

Hebr. 1.

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia est legis novæ sacrificium, & oblatio mundi, cruentis legis Judaicæ sacrificiis incrementa succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in Missa offertur ac celebratur. Unde fit ut Eucharistia non solum à fidei populo sumatur, sed etiam pro peccatis, à Sacerdotibus ad Dominica passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, semperq; oblatio fuerit in Ecclesia Dei.

Malach. 1.

Daniel. 12.

Pj. 109.

I, Cor. 15.

PARVUS CATECH.
Quid in Sacramenti hujus sumptione
servandum?

Concil.
Constant.
& Basil.
Luc 24.
Act. 2. &
10.
Chrys.
in Matth.
Theod.
Beda
Ioan 20.
Concil.
Florent. &
Trid.

Quod fides, & auctoritas sanctae matris Ecclesiae docet, videlicet: Christiano laico sat esse, sub unâ specie panis totum Christum accipere, & ex hac sumptione consequi, ut qui dignè accesserit, inpen-tem dei gratiam, ac aeternam quoque vitam obti- neat, qui verus ac integer Sacramenti hujus fru- ctus existit: eoque fit efficacior, quò sapius sacra & salutaris illa communio dignè iteratur.

Quid est poenitentia?

Est secunda post naufragium tabula, & ne- cessarium re lapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.

Quot sunt partes & actiones Poenitentiae?

Pf. 50.
Iacob. 5.
Matth. 3.

Tres. Contritio: vel dolor animi peccata sua detestantis, & ad vitam meliorem aspirantis. Confessio: seu peccatorum suorum coram Sacer- dote facta explicatio. & Satisfactio denique: seu vindicta, poenitioque criminum de seipso sumpta, ad prestandos fructus dignos poenitentiae.

Quid est extrema Unctio?

Iacob 5.
Concil.
Florent.

Est Sacramentum, quo aegroti per oleum sa- crum, & verba Christi in magnis morbi mole- stis relevantur, ut feliciter ex hoc mundo demi- grent, & corpora etiam si ita expedit, sanitati res- tituantur.

Quid est Ordo?

Mat. 10.
1. Tim. 3.
Ad Tit. 1.
Act. 13.

Est Sacramentum, quo Sacerdotibus aliisque ministris Ecclesiae, potestas confertur, ad Eccle- siastica munia ritè decentèque obeunda.

Quid

CATHOLICORUM.

Quid postremo est Matrimonium?

Ut Sacramentum, quo vir & mulier legitime contrahentes, individuum vitæ societatem in-
eunt, gratiaq; divinâ donantur, tum ut soboles ho-
nestè & Christianè suscipiatur ac educetur: tum ut
fœdâ libidinis & incontinentiæ peccatâ evitetur.

Gen. 2.
Matt. 19
I Cor 7.
Ephes. 5.

Estne inter Sacramenta discrimen?

Est sane. Baptismus enim, Confirmatio &
Ordo semel collati nunquam iterantur, sicuti
cætera. Item Baptismus necessario suscipitur ab
omnibus: Eucharistia à ratione utentibus, & à
relapsis poenitentia. Arbitrarium est autem uti
reliquis, modo nullum contempnas, aut cum illud
sumendi tempus est, negligas.

CAPUT V. DE OFFICIIS JUSTITIÆ CHRISTIANÆ.

Quot sunt officia justitiæ Christianæ?

Hæc duo: Declina à malo, sive peccato, & fac
bonum, sive officium justitiæ.

Psal. 36
I Ioan
Isaia.

Qui potest homo cavere peccatum, & bonum
facere, seu præstare justitiam?

Non id per se quidem, sed Christi gratiâ ac spi-
ritu instructus Christianus potest, ac debet, quan-
tum huius quidem vite status admittit, justè vi-
vere, & legem implere.

Conc.
Trid.
sess. 6.

Quomplex est peccatum?

Duplex: Originale, & actuale.

Quid est originale?

Quod ab ortu nobis congenitum per Bap-
tismum in Christo condonatur.

Ad Ro.
I. Cor.

PARVUS CATECH.

Quid est actuale?

Dictum, factum, vel concupitum contra vel præter legem Dei, aut Ecclesiæ.

Quotuplex est actuale?

pienz. 6.
ec. 18.
oan. 1.
pu. 20.

Duplex: Mortale, sic dictum quia mortem animæ presentem adfert: Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur: & Veniale, ut cui venia facile tribuitur, & sine quo ne justique vivunt.

Job. 1.
d. 1. b. c.

Quibus gradibus ad peccatum deducimur?
His tribus: Suggestione, delectatione, consensu, seu deliberatâ voluntate peccandi.

Qui sunt supremi gradus peccantium?

Eorum, qui scientes ac prudentes ex mera peccant malitia, qui etiam de peccato ipso gloriantur & qui bene monentibus obstrepunt, ac salutaria consilia prorsus contemnunt.

Quare peccatum fugiendum?

Gal. 5.
ep. 14.
3. 14.

Quia Dominum Deum offendit, summum bonum eripit, & summum affert malum peccanti, dum divinam tollit fruitionem nunquam recuperandam, & pœnas æternasq; homini accersit sempiternas.

Quæ dicuntur peccata capitalia?

Illæ, ex quibus veluti capitibus & fontibus, omnia alia peccata profiscuntur.

Quot sunt peccata capitalia?

Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

Quâ ratione vitari & vinci hæc peccata possunt?

Si Jesu Christi gratia cooperemur, peccatorum
damna

CATHOLICORUM.

damna & pericula considerantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes.

Quæ virtutes peccatis capitalibus adversantur?

Hæ septem: Humilitas, Largitas, Castitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Devotio, seu sedula pietas.

Quæ peccata in Spiritum sanctum committi dicuntur?

Ea, quæ suâ malitiâ sic divinam excludunt gratiam, ut neque in hoc saculo, nisi agrè admodum, neque in futuro remittantur. Matt. 12.

Quot sunt peccata in Spiritum sanctum?

Sex: Præsumptio de misericordiâ Dei, vel de impunitate peccati: Desperatio: Ignita veritatis: Impugnatio: fraternæ charitatis: Invidentia: Obstinatio: Impœnitentia.

Quæ peccata in cœlum clamare dicuntur?

Quæ per se vehementer abominanda sunt, & aperte humane charitatis iura violant, unde vindictam clamare perhibentur, & horrendis sæpe modis in hac vita divinitus vindicantur. Gen. 18.

Quæ sunt peccata in cœlum clamantia?

Hæc quatuor: Homicidium voluntarium: peccatum Sodomiticum: Oppressio pauperum, viduarum atque pupillorum: demerita merces operariorum defraudata. Gen. 4. & 18. Exod. 22. Iacob. 5.

Quæ peccata dicuntur aliena?

Ea, quæ ab aliis quidem committuntur, sed nobis interim auctoribus, vel quoquo modo adiutoribus, aut saltem non impediuntibus, ut idcirco nobis etiam imputentur. Psal. 18.

Quos

PARVUS CATECH
Quot modis aliena peccata nobis
imputantur?

Novem his modis: Consilio, iussione, consensu, irritatione, laudatione, seu adulatione, reticentia culpæ alienæ, conniventia vel indulgentia, rei alienæ participatione, & prava facti alieni defensione.

Quæ dicuntur opera carnis?

Ea, quæ homines secundum carnem viventes, & à Dei filiis spiritualibus degenerantes, committere solent.

Quæ sunt opera carnis?

al. 56.

Paulus ea recenset in hunc modum. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt: Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, ira, rixæ, dissensiones, sectæ, invidia, homicidia, ebrietares, comestationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi: quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Estne satis Christiano malum fugere, & à peccato declinare?

Gal. 36.

ai a. 1.

om. 12.

icob. 4.

Nequaquam: sed præterea bonum agere, & virtutes exercere necesse est, alioqui scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.

Quid boni faciendum est Christiano?

olof. 1.

Cor. 8.

Pet. 2.

lath. 3.

In genere quidem quidquid boni lex naturalis divina vel humana præcipit vel ostendit, in specie verò pro sua quisque vocatione præstare officium, & accepta Dei gratia cooperari cum gratiarum actione debet; omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

Quæ

CATHOLICORUM.

Quæ sunt Præcipua bonorum operum genera?

Ea quibus sobriè, justè, pièque vivitur in hoc saeculo, & per quæ iidem justè magis magisq; iustificantur, & Sancti indices sanctificantur.

Ad Tit

Luc. I.

Apoc. 22

Quotuplicia sunt hæc bonorum operum genera?

Triplieta, scilicet: Jejunium, Eleëmofyna, seu misericordia: & Oratio. de quibus ita legimus: Bona est Oratio, cum Jejunio, & Eleëmofyna.

Tob. 12.

Matth.

Quis est fructus bonorum operum?

Habent ea promissionem, ac mercedem huius ac eterne vite, deum placant, gratiam conservant, & augent: denique Christiani hominis vocationem certam faciunt atque consummant.

1. Tim. 4.

Matth. 2

2. Petr. I.

Iacob. 2.

Quid est jejunium?

Concil.

Mogunt.

can. 34.

& 35.

Canogr.

can. 19.

Est certis diebus, juxta morem & prescriptum Ecclesie, carnibus abstinere, & saltem unicâ cibi refectione in die contentum vivere frugalius. Sed si generatim hoc nomen accipias, Jejunium est corporis quædam castigatio piè suscepta, ut vel caro spiritui subiciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Quid est Oratio?

Est mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis, aliisq; petimus, vel deo benedicimus.

Damase.

Quid est Eleëmofyna seu Misericordia?

Est beneficium, quo alterius miseriæ ex commiserationis affectu subvenimus.

Quot

PARVUS CATECH.

Quotuplex genus est Eleëmofynæ, seu
Misericordiæ?

*Duplex: alia quippe sunt opera misericordiæ
corporalia, alia verò spiritualia: quoniam vel ad
corporalem, vel ad spiritualem miseriam proximi
sublevandam spectant.*

Quot sunt opera misericordiæ
corporalia?

Marc. 25.
Job. 1.
2. Reg. 2.

*Septem: Esurientes pascere, potum dare siti-
entibus, operire nudos, captivos redimere,
ægrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere,
mortuos sepelire.*

Quot sunt opera misericordiæ
spiritualia?

Matth. 18.
Eccl. 18.
7.
Prov. 27.
Matt. 5.
T. 311.

*Sunt & ipsa septem: Ut peccantes corrigere,
ignorantes docere, dubitantibus rectè consu-
lere, pro salute proximi deum orare, consolari
mæstos, ferre patienter injurias, offensam re-
mittere.*

Quæ sunt virtutes omnium præcipuæ?

*Post Theologicas quidem illas, de quibus dictum
est: Fidem, & Spem, & Charitatem præcipuas sunt
Cardinales, quæ Christianos cumprimis decent.*

Quæ dicuntur Cardinales virtutes?

*Quæ tanquam fontes aliarum, & cardines om-
nem honesta vita rationem continent.*

Quot sunt virtutes Cardinales?

Ambros.
libr. 2.
Offic. 6.
Libr. 3.
de virgin.

*Quatuor: Prudentia, Justitia, Temperantia,
Fortitudo; quibus in Christo consequitur homo, ut
providè, justè temperatè, ac fortiter in omni vita
degar, ac placeat Deo.*

Quæ

CATHOLICORUM.

Quæ dicuntur dona Spiritûs sancti?

Septem illa, quæ super Christum requievissent. *Isaia II*
Propheta testatur. Et quæ ab ipso, cœni fonte omnis *I. Ioan.*
gratia, in alios derivantur: ut donum sapientiæ,
donum intellectûs, consilii, scientiæ, fortitudi-
nis, pietatis, ac timoris Domini.

Quænam illa, quæ fructus Spiritûs
vocantur?

Ea, quæ pii secundum spiritum viventes ope- *Rom. 8.*
rantur. Et per quæ spirituales à carnalibus di-
gnoscuntur.

Qui sunt fructus Spiritus?

A Paulo Apostolo sic numerantur: Caritas, *Gal. 5.*
gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas,
benignitas, mansuetudo, fides, modestia, conti-
nentia, castitas.

Quæ dicuntur Evangelicæ beati-
tudines?

Illæ, propter quas in Evangelio etiam hi, qui
miseri prorsus ac infelices videntur, beati ac fe-
lices pronuntiantur.

Quot sunt Evangelicæ beatitudines?

Octo: quas ita Christus in monte tradidit.

Prima.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est
regnum cœlorum.

Secunda.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matt. 5.*
Luc. 6.

Tertia.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Quarta.

PARVUS CATECH.

Quarta.

Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Quinta.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Sexta.

Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt.

Septima.

Beati pacifici, quoniam filii dei vocabuntur.

Octava.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Quæ dicuntur Evangelica consilia?

1. Cor. 7.

Videlicet, quæ per Evangelium non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti sapientibus magis expedita atque utilia à Christo non præcipiente quidem, sed consulente proponuntur.

Quot sunt Evangelica consilia?

Mat. 19.

Act. 4.

Principalia tria sunt, nimirum: Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur.

Quæ hominis novissima dicuntur?

Eccl. 7.

Ea, quæ homini ad extremum accidunt, ut: Mors, Judicium, Infernus, & cœlestis gloria: de quibus ita docet sapiens: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

F I N I S.

AB: 37



Handwritten cursive script, possibly 'Hoff'

Handwritten cursive script, possibly 'Lil'


Handwritten cursive script, possibly 'V017'


Handwritten cursive script, possibly 'Lil'

Handwritten cursive script, possibly 'Lil'

ULB Halle 3
006 567 614








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ETRI
CANISI
SOCIETATIS
JESU THEOLOGI
CATECHISMUS.

*Nunc iterum in gratiam studiosa
ferventis latinè editus.*

canisio



Cum Facultate Superiorum et Priv. S. Cas. Maj.
COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica.

B. A. I.

